

origo non innotuerit, mortalibus autem plurima exhibuerit beneficia. Ipsa enim primo lanificium adinuenit. Nam ostenso quo ordine purgata lana & dentibus ferreis peccinata atque colo filata, etiam textrinum dicitur excogitalle officium. Vsum insuper olei eo usque mortalibus incognitum hæc ipsa inuenit & docuit. Ipsa etiam sapientiæ dea & artium inuentrix dicitur. Cum itaque apud gentiles eius fama & numinis reuerentia late diffusa esset, in eius honore templa construxerunt præcipue Romæ iuxta templum Iouis.

BARBAROSSA REX ARGIERÆ EXPVGNAT TVNETANVM REGEM, sed qui per Carolum Cæsarem restituitur.

Cap. XI.

Rex Tunetanus qui nostro æuo in Africa minori rebus potitus est, propter regni sui angustiam fœdus iniit cum rege Hispaniæ contra Barbarossam regem Argieræ, à quo regno fuit priuatus, sed anno Christi millesimo quingentesimo tricesimo septimo per Carolum regem Hispaniæ atque imperatorem rursus restitutus. Hic persuasus à Carolo Cæsare, permisit Christum in Tunis prædicari, sed oleum & opera perditur apud illos Saracenos seu Mahumetanos. Non est admodum potens regnum Tunetanus, atque ideo sæpe infestatur à Barbarossa Argierensi. Est autem Barbarossa iste natus matre Christiana, fuitque à puero pauper, ut cogeret etiam in Hispania circumferre & uendere caseos, ut acciperet à uiris fide dignis. Deinde cœpit in mari piraticam exercere, unde non parum ditatus multisque perditissimis uiris stipatus, insidijs & tyrannide regnum Argieræ inuasit, quod in Mauritania, sicut regnum Fes, locum habet. Quo occupato, adiunxit se Turcæ, feliciterque illius bella in mari gerens, regnis Hispaniæ infestissimus fuit, abduxit homines captiuos, deuastauit ciuitates & regiones, aliaque multa & innumera damna Christianis intulit: quare motus memoratus Carolus Cæsar, unâ cum rege Tunetano qui iam à regno suo exulabat, bellum mouit in Barbarossam, primumque eum à Tunetano regno exegit, ac deinde anno Christi millesimo quingentesimo quadragesimo primo, conatus est pellere è regno Argierensi. Vnde cum maximo apparatu nauium, tormentorum æneorum militum, aliarumque rerum ad bellum necessarium, quæ omnia in terris suis, puta Neapoli, Genua, Corsica, Sardinia, Sicilia & Hispania ordinauerat, uenit ad Maioricam & Minoricam, atque inde biduo maximis uiribus traiecit mare uersus Argieram. Habuit secum in hac expeditione septem millia Hispanorum peditum, sex millia Germanorum, sex millia Italorum, & tria millia ingenuorum uiro- rum qui propria sponte honoris gratia Imperatorem sunt secuti. Equites uerò habuit, quadringentos Neapolitanos & septingentos Hispanos. Cumque tantus exercitus feliciter traiecisset mare, & iam obsidione cingeret Argieram ciuitatem, exorta est subito tam horrenda & inaudita tempestas, imber grauis & diutinus, & uentus tam uehemens, ut mare inciperet supra modum insanire, naues cum omni com- meatu partim mergere, & partim ad saxa collidere atque in nihilum redigere, ut nulla ope humana possent ab interitu liberari. Interim uerò quo tempestas sic sauebat & omnia apud Cæsareanos confunderet, egressi Argierenses & irruentes in eos, multos interfecerunt, quousque nostri adunati hostem insecuti sunt usque ad mœnia. Tum obsessi omnes æneas machinas succedentes atque arcus in nostros intendentes, rursus non paucos peremerunt. Submersæ fuerunt centum & triginta naues, & ex alijs nauibus adhuc illæsis, nihil commeatum afferri potuit propter nimium æstum & sauitiam maris, etiam si parum adhuc superesset de uiatico. Nam pelagus serè adsumpserat omnem panem, farinam, oleum, uinum, legumina, salsamenta carni- um & similia, ut cogerentur mactare & triduo edere equos, ex nauibus ad littus eductos. Maiores quæque æneæ machinæ mersæ fuerunt in mare, sed quas postea Argierenses extraxerunt & in oppidum introduxerunt. Frustrà ergo Cæsare moliente ciuitatis expugnationem, compulsus fuit residuas reficere naues, atque re infecta discedere. Per integrum triduum passus fuerat miles eius magnam famem atque aëris iniuriam, destituti ob continuam pluuiam uiribus: amiserant cum bombardis non paucos uiros: & quid igitur agerent? Ingressi naues rectà Bugiam contenderunt, quæ sita est in litore maris, & est de dominio regum Hispaniæ: habetque in monte arcem munitam, conterminam regno Fes, quod

Carolus Cæsar
aggreditur
Argieram.

Tempestas
horrenda.

EBBb s ultimum



ultimum in Africa occidentem uersus tenet locum. Non tamen est magnum regnum illud, sed confœderatum est regibus Hispaniæ ob Barbarossæ metum. Non quod Barbarossa tam potens sit in regno suo, quum præter Argieram non multas habeat munitas ciuitates, nec bellicosum aut etiam diuitem populum, sed quia Turcam habet à parte sua. Accidit autem memorata tempestas circa festum diui Michaëlis aut in ipso octobris initio.

DE DVABVS SYRTIBVS.

Cap. XII.

SVnt circa finem Africa uersus Aegyptum in mari duo periculosissima loca, Syrtes propter aquas reciprocas dicta. Significat enim *ὀψευ* trahere. Est autem in his locis, maris & terræ magna inæqualitas, nam in uno loco est magna maris profunditas, & in alio loco mare est uadofum. Spiranteq; uento, cumulus arenæ qui supra mare fuerat, in profundissimas residet ualles, & qui deprimebatur, mox super aquas egeritur. Aiunt autem arenam in hunc modum maris motu seu affluxu & refluxu ad decem, aliquando ad uiginti miliaria transferri, unde fit, ut ubi hodie mare fuit uadofum, cras est profundissimum, & contra, moueturq; arena, quæ in fundo maris iacet, de loco in locum, iuxta quod uentorum status & æquoris fluctus in hanc uel istam mundi impelluntur plagam. Hinc etiam fit, ut cum naues in huiusmodi latentes maris arenosos cumulos & cœnosum